Aristophanes

Franciscus Krause

Quaestiones Aristophaneae

Scaenicae

# QUAESTIONES ARISTOPHANEAE SCAENICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

FRANCISCUS KRAUSE
DESSAVIENSIS.



ROSTOCHII
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS
MDCCCCIII.

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTULIT
OTTO KERN PROF. PUBL. ORDIN.

---

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE XX. MENSIS
FEBRUARII A. H. S. III.

# Dispositio.

Postquam ultimis viginti annis theatra Graecorum, imprimis theatrum Bacchi Athenis, effossa et in lucem prolata sunt, multos viros doctos denuo de quaestionibus scaenicis fabulisque disputasse non mirum est. Sed haud ita multo post nemini non [1]) persuasum est, ad res scaenicas saeculi quinti cognoscendas nos solis fere fabulis interpretandis niti necesse esse, quoniam theatri Bacchi, quale fuit saeculo quinto, nullae fere sunt reliquiae, neque scriptores veteres, qui de rebus scaenicis scripserint, de theatris et institutis scaenicis agunt nisi saeculi quarti et sequentium. Quaerenti igitur de ratione scaenica et tragoediarum et comoediarum maxima vis tribuenda est verbis poëtarum ipsis interpretandis. Et laudandum est semper Maur. Hauptii [2]): „nihil autem fere fit in tragoediis comoediisque Graecis, quin fieri simul indicetur oratione."

Quibus de causis etiam huius dissertationis priore parte verbis Aristophanis ipsis ante omnia examinatis agam de ratione scaenica Acharnensium. Qua ratione quaerendi statim apparebit, nihil

---

[1]) O. Puchsteinius, Die griech. Bühne, Berlin, 1901, nemini persuadebit, in rebus scaenicis saeculi quinti recte intelligendis Vitruvii auctoritatem pluris aestimandam esse verbis poëtarum scaenicorum ipsis.

[2]) V. Hauptium, de scaena Acharnensium, quae parodum sequitur, in opusc. II, p. 460.

fere differre inter rationem scaenicam tragoediae et comoediae nisi veri similitudine in locis et temporibus tractandis a poëta comico neglecta. Quam ob rem altera dissertationis parte, quomodo Aristophanes in locis et temporibus tractandis veri similitudinem neglegere soleat, exponam.

## I.

Primum igitur quaeramus de ratione scaenica Acharnensium.

Prologus fabulae (v. 1—203[1]) agitur Athenis[2] in pnyce[3]) mane.[4]) Media in scaenae pariete domus Dicaeopolidis repraesentata est, cum actor sit primarum partium. Quam domum re vera ad pnycem sitam esse minime putandum est, quod toto prologo usque ad. v. 202 fabula agitur in pnyce, quam pars. orchestrae ad scaenam sita subselliis ornata[5]) repraesentat. Quamquam enim v. 1 Dicaeopolis e domo sua, i. e. e ianua maxima, scaenam intrat, tamen usque ad. v. 202 hanc domum non oculis, sed mentibus spectatorum ablatam esse consentaneum est, cum, quod modo dixi, haec pars fabulae in pnyce agatur.

Personam Dicaeopolidis Acharnensis[6]) poëta inducit ut pacis amantissimum,[7]) cum tota fabula

---

[1]) Versus numeros ferunt G. Dindorfii, poëtae scaen. Gr., ed. V, 1859.

[2]) v. v. 27, 75 („ὦ Κραναὰ πόλις“).

[3]) v. v. 20 („ἡ πνὺξ αὑτηί“).

[4]) v. v. 20.

[5]) v. v. 25, 42.

[6]) v. v. 33—36. De v. 406 suo loco agam.

[7]) v. v. 32.

spectet ad pacem Atheniensibus spectatoribus commendandam.[1]) Dicaeopolis in contionem iustam,[2]) quae hodie mane[3]) in pnycem convocata est, venit, ut clamet, interpellet, oratores conviciis increpet, nisi de pace agatur. In subsellio sedens[4]) populum[5]) exspectat et prytanes[6]) contionis initium facturos. V. 40 prytanes cum praecone, sagittarii,[7]) populus[8]) scaenam intrant per alteram parodum, quae ad urbem fert, cum e foro adveniant,[9]) et considunt.[10]) V. 43 praeco[11]) contionis initium facit.[12]) V. 45

---

[1]) v. hypoth: „τὸ δὲ δρᾶμα . . . . ἐκ παντὸς τρόπου τὴν εἰρήνην προκαλούμενον“.

[2]) v. v. 19.

[3]) v. v. 20.

[4]) v. v. 29.

[5]) v. v. 21, 22.

[6]) v. v. 23.

[7]) v. v. 54.

[8]) v. v. 42 sqq.

[9]) v. v. 21 („οἱ δ᾽ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι“).

[10]) v. v. 42.

[11]) Cum Beerio, über die Zahl der Schauspieler bei Aristoph, Leipzig 1844, p. 54, et Ed. Alberto Muellero, Acharnenses, Hannover, 1863, ad v. 46, v. 43 et 44, alteram partem v. 45, verba „τίς ὢν;“ et „οὐκ ἄνθρωπος;“ v. 46, verba „οἱ τόξοται“ v. 54, verba „κάθησο σῖγα“ v. 59, ne in hac scaena praeter personam Pseudartabae altero parachoregemate opus sit, praeconi tribuo, quod veri simillimum videtur, personam prytanis muta persona agi, cum re vera prytanis verba sua non tam clara voce pronuntiasset, ut ab universa contione perciperentur, sed singula a praecone repetita essent.

[12]) E v. 44 non colligi posse, re ipsa sacrificatum esse in scaena, sed verba „ἐντὸς τοῦ καθάρματος“ significare „intra locum sacratum“, qui circumcluditur fune minio imbuto, Muellero, l. l. ad v. 44, assentior, cum poëtam in contione fingenda omnia omittere putem, quibus facetias adiungere non possit, qualia sunt sacrificia et precationes, ea initio contionum fieri solere annotat schol. ad v. 44 (v. Dindorfium, Aristoph. com, tom. IV, p. I — III, 1838) ex Aeschine: „.... ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κῆρυξ τὰς πατρίους εὔξηται, τότε δὴ κελεύει δημηγορεῖν ....“

Amphitheus per parodum ad urbem ferentem advenit sero, ut putat, quod apparet e verbis eius v. 45: „ἤδη τις εἶπε;“ Cur venerit, dicit v. 51—54. Qui cum de pace ineunda dicat, quam rem peragendam a prytanibus non propositam esse censendum est, a sagittariis abducitur post v. 55.[1]) V. 61 legati introducuntur cum Pseudartaba[2]) et duobus eunuchis.[3]) Verba v. 64 „βαβαιάξ, ὦκβάτανα, τοῦ σχήματος“ ad Pseudartabam Persam mihi spectare videntur, quod primum voce „ὦκβάτανα“, deinde autem v. 95—97 probatur, eis manifestum est, illum unum tantum et permagnum oculum habere[4]), ut alludatur ad vocem „ὁ βασιλέως ὀφθαλμός“ v. 92 et 94, stolide prospicere, longam barbam habere. V. 94 meo arbitrio Pseudartabas non inducitur, quod annotat Muellerus[5]) — id iam v. 61 fit —, sed a latere ad mediam partem ad prytanes procedit, ut Atheniensibus dicat, quid sibi mandaverit rex Persarum. V. 110 Dicaeopolis legatum adhuc cum Pseudartaba collocutum recedere iubet, ut ipse ab eo, quid mandaverit rex, quaerat, cuius gestus eunuchi imitantur.[6]) V. 124, 125 praeco, postquam Dicaeopolidem tacentem considere iussit, Pseudartabae, eum a senatu invitatum esse in prytaneum nuntiat, is cum eunuchis per parodum ad urbem ferentem abit. Idem legatos iam post v. 110 fecisse veri simile est, cum rettulerint ad contionem neque iam commemorentur. Praeterea actori secundarum partium, qui a v. 45—55 partes Amphithei, a v. 61—110

---

[1]) v. v. 57, 58 („τὸν ἄνδρ᾽ ἀπάγοντες“).

[2]) v. v. 91.

[3]) v. v. 115, 117.

[4]) V. etiam schol. ad v. 95: „ἐξεπίτηδες μέγαν ὀφθαλμὸν ἔχων ὁ πρεσβευτής“.

[5]) l. l. ad. v. 94.

[6]) v. v. 115.

partes legati alterius egit, iterum inde a v. 129 partes Amphithei agendae sunt. Muellerus[1]) Amphitheum ad Dicaeopolidem confugisse, qui solus eum tutatus sit v. 56, contendit. Ego Amphitheum post v. 55 a sagittariis e contione eiectum nunc demum clam redire puto, quod Muelleri sententia accepta statuendum esset, partes legati parachoregemate agi, neque intellegi posset, cur Dicaeopolis v. 129 quaereret, ubi Amphitheus esset, si prope eum staret. Dicaeopolis Amphitheo octo drachmis datis[2]) mandat, ut sibi suisque cum Lacedaemoniis foedus faciat.[3]) qui post v. 132 scaenam per alteram parodum, per quam peregrini adveniunt, relinquit Spartam profecturus. V. 134 praeco θεωρὸν legatum ad Sitalcem missum prodire iubet. V. 155 Odomanti praecone imperante scaenam intrant, qui phallum glande nudata gerunt.[4]) V. 163, 164 Odomanti allium rapiunt, quod cibarium Dicaeopolis secum in contionem contulerat.[5]) Qua de causa iratus Dicaeopolis contionem pergere facere prytanes vetat, cum signum caeli fuerit.[6]) Thraces igitur dimittuntur et contio per prytanes solvitur. Post v. 173 omnes praeter Dicaeopolidem per parodum ad urbem ferentem ex orchestra egrediuntur.

Iam v. 175 Amphitheus Lacedaemone reversus orchestram intrat per parodum, per quam peregrini

---

[1]) l. l. ad v. 129.

[2]) v. v. 130.

[3]) v. v. 131, 132:

„σπονδὰς ποίησον πρὸς Λακεδαιμονίους μόνῳ
καὶ τοῖσι παιδίοισι καὶ τῇ πλάτιδι“.

[4]) v. v. 158.

[5]) a. h. l. v. Eccles. v. 307 sqq:

„ἀλλ᾽ ἧκεν ἕκαστος
ἐν ἀσκιδίῳ φέρων
πιεῖν ἅμα τ᾽ ἄρτον ἂν
καὶ πρὸς δύο κρομμύω
καὶ τρεῖς ἂν ἐλάας“.

[6]) v. v. 169—171.

scaenam ingredi solent. Cum Amphitheus post v. 132 Lacedaemonem abeat, v. 175 iam revertatur, nemo non intelligit, poëtam temporum veri similitudinem valde neglexisse iter, quod re vera multorum dierum est, ne unius quidem horae esse facientem. Mentibus igitur spectatorum fingendum est, inter v. 132 et v. 175 Amphitheum Spartam ivisse, foedus Dicaeopolidi cum illis fecisse, rediisse. Sed cum et in Acharnensibus et in reliquis huius poëtae fabulis saepius temporum veri similitudinem neglegi reperiatur, hoc loco non fusius de hac re agam, sed Acharnensium ratione scaenica explicata de singulis locis, quibus talia reperiuntur, disseram et cur hoc fecerit et facere potuerit Aristophanes examinabo. Nunc redeamus ad v. 175. Amphitheus secum fert tres utres vinearios, cum poëta indutias tamquam vinum in utribus contineri fingat.[1]) Amphitheus Dicaeopolidi primum indutias quinque[2]) annorum, deinde decem annorum[3]) gustandas praebet, quibus spretis[4]) tertias triginta annorum Dicaeopolis accipit.[5]) Post v. 201[6]) Amphitheus orchestram relinquit per parodum ad urbem ferentem, ut effugiat Acharnenses, quos se sequi iam v. 177 dixerat. Dicaeopolis autem, ut pacem nactus Dionysia rustica agat,[7]) post v. 202

---

[1]) v. v. 179, 187 sqq.

[2]) v. v. 188.

[3]) v. v. 191.

[4]) v. v. 189, 190 et 192, 193.

[5]) v. v. 199.

[6]) apud Dindorfium v. 203. Cum in v. 201 nos offendat „ἐγὼ δὲ“, ego cum Hauptio (l. l. p. 462 et 463) v. 203 post v. 200 pono.

[7]) Muellerus. l. l. ad v. 202. annotat: „Noli putare, nunc esse iustum ac legitimum tempus Liberalium rusticorum, sed pace composita gaudio exsultans senex constituit in pagum suum migrare et statim iucundissimum illud festum agere“. Quam sententiam stare non posse, sed Boeckhium multis annis

domum intrat. Quam domum a spectatoribus ab initio fabulae in scaenae fronte visam neque vero actioni insertam, cum scaena toto prologo agatur in pnyce, in urbe esse, iam ex eo apparet, quod Amphitheum e contione Athenis Spartam missum etiam Athenas redire necesse est. Domus igitur Dicaeopolidis, quae spectatorum mentibus usque ad hunc v. neglegenda erat,[1] nunc actioni inseritur, neque vero illam ad pnycem sitam esse putandum est.[2]

V. 204 chorus senum Acharnensium[3], qui corbes carbonibus impletas in tergo gestant[4]) et in amiculis tritis lapides secum portant[5]) per parodum peregrino-

ante Muellerum iam recte hunc locum intellexisse puto, qui in dissertatione sua „Vom Untersch. der att. Dion, Len, Anthest.“ in Philolog. Mus. Cambr. vol. II, p. 273—307, expressum in Kl. Schr. V, p. 118 et 119, haec dicit: „Denn der Tag der Absendung des Amphitheos nach Sparta muss nach dem Massstabe der Wirklichkeit geraume Zeit vor den ländlichen Dionysien gedacht werden, dann fallen in den Posideon diese selbst; denn hierin bin ich mit Oderici allerdings einverstanden, dass Dikaiopolis die Dionysien zu ihrer Zeit feiern will, weil er ja ausdrücklich sagt, seit 6 Jahren sei er nicht dazu gekommen, was doch, hätte er sie jeden Tag feiern wollen, wenn die Feinde nicht da waren, wunderlich gesprochen wäre; dass Attika keinen Tag in den 6 Jahren vor Feinden sicher war, wird niemand behaupten. Aber er konnte in den 6 Jahren niemals um diese Zeit ruhig auf dem Lande leben, weil der Feind gern die Weinlese hindert und verdirbt; jetzt kann er zum ersten Male wieder die Lust des ausgelassensten Festes im Frieden auf dem Lande geniessen“. Quam Boeckhii sententiam contra O. Gilbertum laudavit A. Mommsenius, Feste der Stadt Athen. 1898, p. 351, ann. 6.

[1]) v. supra p. 6.

[2]) v. supra p. 6.

[3]) v. v. 179, 180, 210, 222.

[4]) v. v. 211, 331 sqq. V. etiam schol. ad v. 325: „ταῦτα λέγει τινὸς τῶν Ἀχαρνέων ἁρπάσας κόφινον γερόντων, ἐν ᾧ τοὺς ἄνθρακας φέρουσιν....“

[5]) v. v. 184, 236, 281 sqq, 341 sqq.

rum. cum sequantur Amphitheum, orchestram intrant. Cur venerint, docent v. 179 sqq, 204 sqq: irati, quod Amphitheus pacem cum Lacedaemoniis inierit, eum sectantur, ut in eum lapides coniciant. Etiam chorum orchestram, quae urbis aliquam partem repraesentet, intrare iam ex eo apparet, quod Amphitheus Athenas ad Dicaeopolidem iverat.

Sed inde a. v. 237, quo Dicaeopolis Dionysia rustica agere incipit, scaenam in pago eius esse, docet v. 266 „ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος“. Recte monuit Hauptius[1]): „neque enim in urbe celebrari possunt „τὰ κατ᾽ ἀγροὺς Διονύσια“ neque alibi quam in pago suo Dicaeopolis Phaletem ita ut facit salutare potest

„ἕκτῳ σ᾽ ἔτει προσεῖπον ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος“.

Deinde autem v. 366 Dicaeopolidem truncum carnificis e domo sua urbana efferre intellegitur e v. 394 sqq, ubi scaena ad domum Euripidis, quae in urbe est, agitur[2]). Scaena igitur mutata v. 237 sqq. in pago Dicaeopolidis agi nemo non intelligit. Quae quomodo mutata sit, viri docti variis rationibus explicare studuerunt. Scaenam aliquo apparatu scaenico, velut parietibus versatilibus circumactis, eccyclemate, talibus rebus adhibitis mutatam esse, ne uno quidem loco neque tragoediarum neque comoediarum commendatur. „Nihil autem fere fit in tragoediis comoediisque Graecis, quin fieri simul indicetur oratione“. Eundem semper aspectum scaena et orchestra ab initio fabulae usque ad finem praebent[3]). Scaena solis mentibus

---

[1]) l. l. p. 459.

[2]) Sententiam Muelleri. l. l. ad v. 237. inde ab hoc v. usque ad v. 625 fabulam in pago Dicaeopolidis agi, refutant iam ipsa poëtae verba v. 394 sqq.

[3]) In Aesch. Eum. cum post v. 234 simulacrum Minervae ante templum ponatur, in Thesmoph. cum v. 278 signum contionis appareat. scaena ipsa — i. e. in Eum. et Thesmoph. (v. infra p. 41 et 42) templum — non mutatur.

spectatorum, non oculis mutari potest. Quod quamquam Boeckhius[1]) recte intellexit, tamen dicit „notwendig musste der Landsitz des Dikaiopolis mit der Stadt zusammen auf dem Schauplatz dargestellt sein, so dass der Chor und Dikaiopolis auf dem Theater sich nur hin und herbewegten, wenn sie vom Lande in die Stadt oder umgekehrt gingen". Iam Hauptius[2]) hanc sententiam stare non posse comprobavit dicens nullum usquam indicium huius rei in verbis eorum esse. Praeterea monendum est, villam Dicaeopolidis una, domum eius urbanam altera proscaenii ianua, quod Boeckhius in animo habuisse videtur, repraesentari non posse, cum sola ianua maxima sit Dicaeopolidis, altera autem Euripidis, tertia Lamachi, neque quarta adsit[3]). Qua de causa apparet eandem ianuam maximam initio fabulae domum Dicaeopolidis urbanam, hoc loco villam, deinde iterum domum urbanam repraesentare. Neque quidquam mutatur oculis spectatorum, sed mentibus fingendum est, scaenam nunc in Dicaeopolidis pago agi, cum poëta apertis verbis hoc significet. Neque aliter igitur poëta veri similitudinem locorum ac temporum, quod supra vidimus, hac in fabula negligit. Quod cum in reliquis fabulis saepius recurrat, etiam de hac re in altera huius dissertationis parte fusius agam.

Nunc spectemus scaenae, quae parodum sequitur, rationem scaenicam!

Chorus, cum v. 237 Dicaeopolidem silentium ad pompam agendam imperantem audiat, de medio recedit, ut illi locum exeundi det, deinde, postquam

---

[1]) l. l. p. 116.

[2]) l. l. p. 460.

[3]) Eandem ianuam unius personae vel familiae esse solere, reliquis huius poëtae fabulis comprobatur.

exierit, illum aggrediatur[1]. E domo Dicaeopolidis procedunt ipse, filia eius canephorus[2], servi duo, quorum alter Xanthias[3], phallum gerentes, uxor Dicaeopolidis. Magnas dubitationes interpretibus moverunt v. 241—279: primum Elmsleius[4], secutus codicum Parisiensium A, B, C auctoritatem, v. 244, 253—258 non uxori tribuit, sed Dicaeopolidi, idem fecerunt Beerius[5], Muellerus[6], Hauptius[7]. Aliam rationem iniens Dindorfius hos v. matris esse statuit. Cum codices, quoniam in antiquissimis fabularum editionibus verba singularum personarum non praescripto nomine, sed solis lineis distinguuntur, nos de hac re nihil docere possint, nulla re nisi interpretandis verbis poëtae ipsis niti possumus. Beerius l. l. exposuit, pompam constituere Dicaeopolidis esse, quod probari verbis „πρόβαινε“ v. 257 et „πρόβα“ v. 262 in comparationem vocatis, praeterea verba obscoena v. 254 sqq. minime decere matrem. Meo arbitrio v. 244 et 253—258 tamen cum Dindorfio uxori tribuendi sunt. Atque enim constituit Dicaeopolis pompam v. 241, 242 et 259—262; v. 242 aliquantulum („ὀλίγον“) filia, ut locus sit reliquae pompae constituendae, progredi, v. 242 Xanthias phallum statuere iubentur, quibus v. constituitur tantum pompa. V. 259—262 progredi autem incipit pompa („πρόβα“). V. 244—246 filia canistrum, quam antea in capite gestaverat, in solo ponit, ut cum matre, quod eius est, pultem ollae, quae in canistro ponatur[8], infundat, ea pars

---

[1]) v. v. 233—240, 280 sqq.
[2]) v. v. 242.
[3]) v. v. 243.
[4]) Aristoph. Acharn. 1819. ad v. 244.
[5]) l. l. p. 54. 55.
[6]) l. l. ad v. 244.
[7]) l. l. p. 464. 465.
[8]) v. v. 284.

„τῶν ἀπαρχῶν“ est[1]. Interea v. 247—252 Dicaeopolis laetitiam pacis et pompae significat, mater v. 253—258 filiae, quid eam observare velit in pompa, praecipit, gavisa tali filia. Quae verba v. 253 sqq., quamquam obscoena, quod in comoedia neminem offendere potest, mihi minime patris, sed matris esse videntur, cum nullius nisi matris proprium esse censeam, talia, quae fieri velit, filiae imperare. V. 259 pompa progredi, mater autem, cuius partem pompae ipsius capere non est, in tectum ire iubentur. Quae mihi omnia sic optime cohaerere et optimum sensum praebere videntur. Praeterea partes matris actor secundarum partium agere potest, quoniam praeter matrem hac scaena Dicaeopolis et filia soli loquentes inducuntur. Schol. ad. v. 1226 nihil comprobare potest, cum hoc loco Dicaeopolis se non senem significaverit. Deinde Hauptius [2] proposuit, v. 244—246 transponendos esse post v. 275. Quam sententiam stare non posse, iam eisdem causis, quibus Beerii sententiam modo refutavi, comprobatur. Hoc unum addam, transpositis v. 244—246 post. v. 275 mirum videri matrem, quae post v. 262 abiit et in tectum escendit, v. apud Hauptium 277:

„ὦ μῆτερ, ἀνάβος δεῦρο τὴν ἐπνήρυσιν“

iterum in orchestra ante domum Dicaeopolidis versari, neque poëtam hanc rem ullo verbo significasse, quod necesse esse Hauptius ipse l. l. recte monuit.

V. 262 pompa procedere incipit: prima incedit filia canephorus, sequuntur servi duo phallum gestantes, post quos Dicaeopolis ipse ingreditur cantum phallicum canens. V. 280 chorus a latere in medium procedit Dicaeopolidem lapidibus coniciens [2]. V. 284 mihi ad ollam, quam filia in canistro gestat,

---

[1] v. schol. ad v. **241**: „.... ἣν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων ἐτίθεσαν ....“

[2] l. l. p. 464—466.

[3] v. v. 281 sqq.

spectare videtur. Filia, duo servi, terrore affecti per ianuam maximam abeunt, uxor a tecto recedit. Solus Dicaeopolis cum choro in orchestra remanet. Cum Acharnenses irati ei ne aures quidem dare velint, ut se defendat, uni corbem carbonibus impletam rapiens perdere in animo[1]) habet. Qua de causa animi chori nunc, ut ei se defendere concedant, adducuntur. Qui, postquam chorus etiam lapides abiecit[2]), ut se capite in trunco carnificis posito defendat, truncum post v. 365 e domo adfert. Hauptius[3]) recte monuit, hunc truncum e domo urbana afferri, praesertim cum Dicaeopolis paucis v. post, v. 394, Euripidis domum adeat, quae quin in urbe sita sit, nullo modo dubitari potest. Inter v. 287 igitur et 359 iterum scaena mentibus spectatorum mutata est, neque ulla alia re nisi sola oratione poëta nunc mediam domum cum ianua scaenae maxima domum Dicaeopolidis urbanam intelligendam esse indicat[4]). Scaena nunc usque ad finem fabulae repraesentat urbanas domos Dicaeopolidis, Euripidis, Lamachi. Sed priusquam Dicaeopolis oratione se defendat, quam miserrimam vestem induere in animo habet[5]), ad quam rem perficiendam domum Euripidis adit v. 394. Primum famulum evocat v. 395, qui Euripidem foras vocet. Cum famulus ei morem non gessurus sit[6]), ipse ostium pulsans Euripidem evocat v. 403—406[7]). Euripides ex interiore domo sibi non tempus exeundi esse respondet v. 407. Qua de

[1]) v. v. 331—333.

[2]) v. v. 341—344.

[3]) l. l. p. 459. 460.

[4]) v. supra p. 12 et 13.

[5]) v. v. 383. 384.

[6]) v. v. 402.

[7]) V. 406 Dicaeopolis se Chollidem nominat, cum secundum v. 34 sqq. sit Acharnensis (v. supra p. 6). Boeckhius (l. l. p. 115) verba Dicaeopolidis huius v. secutus eum re vera

causa Dicaeopolis ei, ut eccyclemate emoveatur, suadet v. 408. Post v. 409 Euripides hac machina e domo emovetur „ἀναβάδην“ [1]) in eccyclemate versatus. Iam quaerendum est, quo modo hoc loco Aristophanes eccyclemate usus sit. In tragoediis eccyclema adhibitum esse, ut res in interiore scaena actae vel agendae demonstrentur, notum est, quod oratione ita indicatur, ut, cum eccyclema emoveatur, ianua aperiatur, velut Soph. Ai. v. 344: „ἀλλ' ἀνοίγετε“. v. 346: „ἰδού, διοίγω“. Eccyclemate emoto spectatoribus personas in eo versantes re vera in interiore scaena esse intelligendum est. Removetur eccyclema ita, ut aliquis portas claudi iubet, velut Soph. Ai. v. 579: „καὶ δῶμα πάκτου“, v. 580: „πύκαζε θᾶσσον“, v. 593: „οὐ ξυνέρξεθ' ὡς τάχος;“ Hoc loco Euripides in domo versatur neque ei tempus exeundi est, qua de causa Dicaeopolis v. 408 „ἀλλ' ἐκκυκλήθητ'“ (scil. quoniam exire non vis) ab eo, ut machina se emoveat, petit. His expositis iam apparet, etiam hoc loco rem non aliter ac saepius in tragoediis esse: personam, cui aliqua de causa facultas exeundi non data sit, eccyclemate emoveri. Velut comparari potest Soph. Ai. v. 333 sqq, quo loco, cum Aiax tali animi motu affectus non possit e tentorio prodire, in eccyclemate, quod interius tentorium ostendit, spectatoribus ante oculos ponitur. Tamen hoc loco Euripides vel

Chollidem fuisse censet. Secundum schol. ad v. 34: „τοῦτο Ἀχαρνέων ἴδιον, οὗτοι δὲ πολυάνθρακες καὶ οὐ δεόμενοι παρ' ἄλλων πρίασθαι.“ Dicaeopolis pagum suum Acharnas esse dicit, hoc loco eum se Chollidem appellare annotat schol. (ad v. 405: „.... ἢ παίζει διὰ τὸ χωλοὺς εἰσάγειν“) ut alludat ad vocem „χωλὸς“ Euripide saepius personas claudas introducente. Qua in re scholiastae auctoritatem sequi malim, praesertim cum etiam chorus sit Acharnensium, quos hominem suo de pago sectari veri simillimum est.

[1]) v. v. 399, 409, 410.

Dicaeopolis non servum fores aperire iubet, sed veri similitudine neglecta Dicaeopolis dicit „ἐκκυκλήθητι“, quod Aristophanem hoc loco aliquem apparatum scaenicum in tragoediis saepius adhibitum illudere in animo habere docet [1]. Reischii [2]) sententiam, hoc loco non eccyclemate adhibito interiorem domum ostendi, sed in lectu versantem Euripidem vehi, ut illudatur Euripides homo mollis, non fusius refutem, cum Reischius omnino eccyclema machinam ad interiorem scaenam monstrandam emotam esse negans omnes tales locos sic intelligendos esse putet, ut solis foribus apertis spectatoribus facultas scaenae introspiciendae data sit, quam sententiam stare non posse multi viri docti, velut Bethius [3]), recte statuerunt. In eccyclemate Euripides in lectu iacet „ἀναβάδην“. Quam vocem non significare „in superiore parte aedium“, quod censet Muellerus [4]), ex eo elucet, quod eccyclema in orchestram emoveri consentaneum est, neque hac sententia accepta Euripides Dicaeopolidi

---

[1]) Eodem modo poëta in Thesmoph. usum eccyclematis illudit Agathonem hac machina emotum faciens (v. v. 96 „οὐκκυκλούμενος“). Tertius locus, quo Aristophanes usus est eccyclemate, est Nub. initio. eo loco eccyclema emotum esse eadem ratione ac in tragoediis indicatur verbis v. 181:

„ἄνοιγ᾽ ἄνοιγ᾽ ἀνύσας τὸ φροντιστήριον“

et 183: „ἀλλ᾽ ἄνοιγε τὴν θύραν“. Simili ratione Pac. initio „γεράνου“ usus. qua machina adhibita saepius in tragoediis personae sublime latae conspiciuntur. illuditur a poëta: quin etiam veri similitudine admodum neglecta dicit Trygaeus v. 174:

„ὦ μηχανοποιέ, πρόσεχε τὸν νοῦν ὡς ἐμέ“.

Qua in fabula Aristophanem Euripidis Bellerophontem ridicule imitari annotat schol. ad v. 76: „παρὰ τὰ ἐκ Βελλεροφόντου Εὐριπίδου ....“

[2]) Dörpfeld u. Reisch. Das griech. Theater. 1896. p. 238 sqq.

[3]) Proleg. zur Gesch. d. griech. Th. im Altert., 1896, p. 110 sqq.

[4]) l. l. ad v. 399. Idem annotat schol. ad v. 399: „φαίνεται γὰρ ἐπὶ τῆς σκηνῆς μετέωρος“.

v. 449. 460, 465. 470 res dare potuit. Mihi sententia Reischii, l. l. p. 238. 239 prolata, magis placet, vocem „ἀναβάδην“ significare Euripidem alto in lectu iacuisse, quod probat schol. ad v. 397: „ . . . . τὸ δὲ ἀναβάδην. ἄνω τοὺς πόδας ἔχων ἐπὶ ὑψηλοῦ τόπου καθήμενος“ et schol. ad Plut. v. 1124: „ἀναβάδην· . . . . . ἄνω, φησὶν, ἔχω τοὺς πόδας ἐν τῇ στήλῃ κοιμώμενος . . . . .“ et Suid. s. v. „ἀναβάδην· ἐφ᾽ ὕψους· ἄνω τοὺς πόδας ἔχειν καὶ κοιμᾶσθαι“. Quo verbo Aristophanes mihi significare velle videtur, Euripidem in lectu non altitudinis usitatae, sed multo maioris iacere, ut quasi rebus humanis exemptus in aethere versus faciat. Simili modo Socrates in Nub. illuditur. Apparet igitur verba „καταβαίνειν“ v. 409 et „καταβάδην“ v. 411 vim habere „in solum, in quo reliqui mortales versantur, descendere“. Ut praeterea tali animo sit affectus Euripides, quali bonos versus facere possit, miserabile vestimentum induit, quo saepissime personas in tragoediis suis vestitas induxit.[1]) Secum deinde habet in lectu Oenei et Bellerophontis fabularum volumina[2]) et varium ornatum scaenicum, cuius Dicaeopolidi vel servus[3]) vel ipse[4]) pannos Telephi, pileum, baculum, sportellum, caliculum, ollulam dat, eis Dicaeopolis ridicule se exornat. V. 479 Euripides servum domum claudere iubet, quibus verbis eccyclema removeri indicatur[5]). Post v. 489 Dicaeopolis a domo Euripidis ad suam recedens capite in trunco posito se defendere incipit. Cum eius verbis commota altera pars chori ira afficiatur, altera autem ei faveat, chorus in duo „ἡμιχόρια“ discedit post v. 556, quorum alterum Dicaeopolidem

---

1) v. v. 412. 413.
2) v. v. 418. 427.
3) v. v. 432.
4) v. v. 432. 439. 448. 453. 459. 463. 469.
5) v. supra p. 17.

aggressurum [1]. alterum adiuturum [2]) est. Cum „ἡμιχόριον β“ ab altero urgeatur, Lamachum auxilio vocat [3]. V. 572 e domo sua procedit Lamachus, cum vocatus sit [4], quem induxit poëta belli cupidissimum, ut opponatur Dicaeopolidi pacis amantissimo. Lamachus scaenam intrat bene armatus [5], maximam cristam in casside [6], Gorgonis imaginem [7] in clipeo gerens, sequuntur eum nonnulli armati [8]. A Dicaeopolide admonitus v. 582 Lamachus clipeo inverso iuxta Dicaeopolidem posito v. 583 ei pennam cassidis dat, qua, dum Lamachus caput eius manu tenet v. 585, vomiturus est v. 586, cum cristae nauseam moveant. Quod quominus faciat, impeditur a Lamacho v. 587. Post v. 622 Lamachus in domum redit, quamquam Dicaeopolis etiam alteri parti chori v. 595 sqq. [9]) de sua sententia persuasit, tamen in bello perseveraturus [10]). Post v. 625 etiam Dicaeopolis in domum abit, mercatu Peloponnesiis, Megarensibus, Boeotis, neque vero Lamacho dicto [11]).

---

[1]) v. v. 562. 563.
[2]) v. v. 564. 565.
[3]) v. v. 566 sqq.
[4]) v. v. 572—574.
[5]) v. v. 592.
[6]) v. v. 575. 586. Recte Muellerus v. 575 semichorio β tribuit. cum Dicaeopolidi favens Lamacho conspecto perterreatur. Dicaeopolis. qui modestiam simulans exspectat, dum Lamachus ipsum alloquatur, eisdem verbis ironice utitur v. 579. V. 576 et 577 quin semichorii α sint. nemo dubitabit.
[7]) v. v. 574. 582.
[8]) v. v. 575.
[9]) v. v. 626.
[10]) v. v. 620—622.
[11]) v. v. 623--625:

„ἐγὼ δὲ κηρύττω γε Πελοποννησίοις
ἅπασι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις
πωλεῖν ἀγοράζειν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή“.

Iam chorus amiculis positis[1] ad spectatores se convertens parabasem cantat. Muellerus[2] recte monuit, chorum nunc usque ad finem fabulae argumentis Dicaeopolidis victum ei favere et pacem cum hostibus a sene compositam probare. Boeckhius[3] recte annotavit, omnia inde a v. 175 usque ad parabasem (Amphitheum cum indutiis Lacedaemone rediisse, Dicaeopolidem Dionysia rustica egisse, denique mercatum faciendum dixisse) re vera uno die agi, sed ante v. 719 iterum aliquot temporis intercedere, cum primum mercatum apud Dicaeopolidem factum iri Megarensibus et Boeotis nuntiari, deinde eos Athenas pervenire necesse sit. Itaque etiam hoc loco veri similitudine temporis neglecta multum temporis intercessisse spectatores intellegere poëta voluit. Quod tempus in fabula parabasi a choro cantata significatur.

Parabasi finita Dicaeopolis e domo in orchestram egressus limites fori[4] constituit aediles tria lora manu gerens[5]. Post v. 728 rursus domum intrat, ut columnam, qua indutiae descriptae erant, in foro statuendam arcessat[6]. V. 729 Megarensis quidam per parodum, per quam peregrini advenire solent, orchestram intrat. Et inducitur quidem Megarensis, cum Megarenses plurimas merces Athenas ferre soleant[7] et hac in fabula pace a Dicaeopolide sibi facta eis nunc non iam hostibus Athenas ad mercatum pro-

---

[1]) v. v. 627 et schol. ad h. v.: „ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀποδυομένων ἀθλητῶν, οἳ ἀποδύονται τὴν ἔξωθεν στολήν, ἵνα εὐτόνως χορεύωσι καὶ εὐστροφώτεροι ὦσι πρὸς τὰ παλαίσματα“.

[2]) l. l. ad v. 626.

[3]) l. l. p. 118.

[4]) v. v. 719:

„ὅροι μὲν ἀγορᾶς εἰσιν οἵδε τῆς ἐμῆς“.

[5]) v. v. 723. 724.

[6]) v. v. 727. 728.

[7]) v. Pac. v. 999–1002.

ficisci liceat[1]. Cur venerit Megarensis, docet v. 734: filias fame coactus venditurus est. Secum ducit filiolas duas[2], quas, ut vendere possit, ad speciem porcellorum adornaturus est[3]. Ad quod perficiendum postquam eis ungulas[4] et rostra[5] porcellorum induenda dedit, in saccum eas irrepere iubet[6]. Tum Dicaeopolidem evocat, qui porcellos emat. V. 750 ille e domo procedit. Cui Megarensis porcellos emendos offerens v. 766 alterum monstrat v. 765 et 766. Cum Dicaeopolis eum non porcellum, sed puellam esse cognoscat, Megarensis filiolas, ut eas tamen porcellos esse probet[7], vocem edere iubet, quae v. 780 grunniunt. Dicaeopolis postquam v. 800—802 eas, qua re vescantur, interrogavit, per servum[8] eis ficos proicit, quas grunnientes[9] comedunt, earum unam etiam Megarensis ipse edit[10]. Iam Dicaeopolis porcellos emere volens, ut pretium, alliorum fasciculum et modium salis afferat[11], domum intrat, cum Megarensis eum maneat[12]. V. 818 sycophanta per parodum ad urbem ferentem orchestram ingreditur. Etiam sycophantam, cuius personam in Aristophanis fabulis usitatissimam esse notum est, ad mercatum Dicaeopolidis profecturum a poëta iam v. 725, 726 significatum est. Causam veniendi videmus hanc esse, ut merces personasque

---

1) v. v. 624, 721.
2) v. v. 731, 784, 786.
3) v. v. 739.
4) v. v. 740.
5) v. v. 744.
6) v. v. 745.
7) v. v. 776.
8) v. v. 805.
9) v. v. 807.
10) v. v. 810.
11) v. v. 813, 814.
12) v. v. 815: „περίμεν' αὐτοῦ“.

hostiles deferat[1]. Cum sycophanta saccum porcellos continentem comprehendere velit[2], Megarensis v. 823 Dicaeopolidem auxilio vocat. Qui postquam e domo egressus v. 826 sycophantae lora minatus est[3], ille aufugit per parodum ad urbem ferentem post v. 828. Dicaeopolis pretio soluto[4] porcellos emptos in domum portat post v. 833, Megarensis negotio bene gesto post v. 835 orchestram relinquit per parodum peregre abeuntium.

Sequitur chori stasimum alterum, quo fortunam Dicaeopolidis pace composita impetratam praedicat. Stasimo hoc loco inserto[5] mentibus spectatorum tempus expletur, quo Boeotus cum tibicinibus Thebanis Athenas pervenire possit, cum ei longius iter quam Megarensi faciendum sit. Boeotum quendam eadem de causa ac Megarensem[6] a poëta inductum esse apparet, cum etiam Boeoti stent a Lacedaemoniis et Athenas ad mercatum proficisci soleant[7]. Boeotus, quam sequuntur servus[8] et tibicines Thebani[9], varias merces vendendas umeris portat[10]. Ab eo moniti tibicines canere incipiunt, quos Dicaeopolis e domo proveniens indignabundus foribus repellit[11]. Cui Boeotus merces suas v. 870 sqq. enumerans vendendas offert. Cum Dicaeopolis illum etiam anguillas secum portavisse audiverit, maximam a Boeoto sibi[12] porrectam allocutus servos

[1]) v. v. 819, 820, 827.
[2]) v. v. 822.
[3]) v. v. 824, 825.
[4]) v. v. 831, 832.
[5]) v. etiam supra p. 21.
[6]) v. supra p. 21.
[7]) v. Pac. v. 1003, 1004.
[8]) v. v. 861.
[9]) v. v. 862.
[10]) v. v. 860, 871, 874 sqq.
[11]) v. v. 864.
[12]) v. v. 882—884.

foculum et follum efferre iubet[1]). Quibus v. 889 elatis anguillam foculo impositam in domum ferri iubet, ubi ad cenam paretur[2]). Quam pretio non soluto se tributum fori accepisse dicit v. 896. Deinde Dicaeopolis a Boeoto reliquas merces empturus, quarum pretium sycophantam eodem modo quo vasa fictilia in fasciculum colligatum soluturus est[3]). Sycophanta statura admodum humili[4]) per parodum ad urbem ferentem deferendi causa[5]) orchestram intrat. Cui v. 926 Boeotus os comprimit, cum Dicaeopolis eum valde clamantem[6]) in modum vasis fictilis vinculis iunceis in fasciculum colliget[7]). Quo a Dicaeopolide colligato[8]) in tergum servi imposito Boeotus post v. 954 per parodum, per quam advenerat, abit. V. 959 servus e domo Lamachi procedit, ut domino ad Choas celebrandos turdos et anguillam a Dicaeopolide emat. Etiam servum Lamachi mercatus faciendi causa in forum Dicaeopolidis venturum a poëta v. 625 et 722 indicatum est. Dicaeopolis servo nihil vendit[9]), qui post v. 968 in domum recedit, ipse merces a Boeoto emptas in domum portat post v. 970.

Scaena sic vacua ab actoribus chorus tertium stasimum canit, quo iterum Dicaeopolidis felicitatem praedicat, bello maledicit, pacem laudat.

Hoc loco nonnulla de tempore dicenda sunt. Iam e. v. 961 elucet, tempus Choum, i. e. secundi

---

[1]) v. v. 887, 888.
[2]) v. v. 893, 894.
[3]) v. v. 904, 905.
[4]) v. v. 909.
[5]) v. v. 908, 911, 912.
[6]) v. v. 942.
[7]) v. v. 927 sqq.
[8]) v. v. 952, 953.
[9]) v. v. 966, 967.

Anthesteriorum diei, appropinquasse. V. 1000—1002 a praecone Choas hoc die agendos esse pronuntiatur, quo die festo ultima pars fabulae agitur. Muellerus, quamquam l. l. ad v. 961 annotat, scribendum esse Χόας, festum illud celeberrimum dici Χόας, quod agi mense Anthesterione, Choum die Athenienses lautissime epulari, ex quibus verbis mea quidem sententia colligendum est, eum hoc loco de Anthesteriis dicere, tamen ad v. 1000 haec habet: „falso haec verba a nonnullis interpretibus de festo Choum accipiuntur, tamquam praeter exspectationem πίνειν dictum sit pro ἄγειν. Significantur congii, qui in conviviis, quibus ille festus dies celebrabatur, hospitibus exhauriendi apponi solebant“. Nemo dubitabit, quin hoc loco (v. 1000) voce „χόες“ „congii“ significentur, sed cum a congiis secundus Anthesteriorum dies „Χόες“ dictus sit, quod ipse Muellerus annotat, haec verba minime falso „a nonnullis interpretibus de festo Choum accipiuntur“, sed meo quidem arbitrio recte intellexerunt, a praecone festum „Χόας“ „χουσί“ bibendis agendum esse pronuntiari. Hac ultima parte fabulae Anthesteria vel „Χόες“ eodem modo ac Dionysia[1]) rustica legitimo die aguntur. Etiam hoc loco igitur poëta neglecta temporum veri similitudine spectatorum mentibus nunc legitimo „Χόας“ die agi intelligendum esse fecit. Atque recte Boeckhius[2]) monuit, tempus, quod vocat „bürgerliche Zeit“, Acharnensium esse Lenaea Ol. 88, 3, i. e. anni 425 a. Chr. n, tempus autem, quod vocat „dichterische Zeit“[3]), aliud et multo longius esse. Si quis[4]) nimia diligentia, quantum temporis ab initio usque ad finem praeterierit, rationem inire

---

[1]) v. supra p. 10, ann. 7.

[2]) l. l. p. 109, 110.

[3]) p. 114.

[4]) v. p. 118, 119.

velit, fabulam minimum duobus mensibus agi, inde a mense Posideone usque ad mensem Anthesterionem: Amphitheum enim re vera multis diebus ante Dionysia rustica Spartam missum esse, Dionysia ipsa Posideone agi, denique in scaena Choas agi, quos incidere in mensem Anthesterionem [1]).

Nunc redeamus ad quarti episodii rationem scaenicam! V. 1000 in orchestram per parodum ad urbem ferentem prodit praeco, qui postquam Choas agendos esse pronuntiavit, post v. 1002 eadem via, qua venerat, abit. Dicaeopolis gaudio affectus e domo procedens servos, uxorem, filiam omnia ad cenam parare iubet v. 1005 sqq, ipse v. 1007 turdos spiculis affigit, ut in domo assentur. [2]) V. 1018 agricola Atticus per parodum ad urbem ferentem orchestram ingreditur, quem poëta eodem modo quo v. 1048 paranymphum inducit, ut etiam cives Atticos pacem appetentes demonstret. Agricola vestimento albo vestitus [3]), cum sibi boves a Boeotis rapti sint [4]), pacem quinque annorum a Dicaeopolide petiturus est [5]). Cui cum Dicaeopolis neque oculos pace oblinat [6]) neque guttam calamo infundat [7]), post v. 1036 flebiliter lamentatus abit. Etiam Dicaeopolidem rursus domum intrasse docet v. 1041, quo chorus se ipsum allocutus audiat illum in domo suis impe-

---

[1]) Totius Boeckhii dissertationis, quam hoc loco accuratius examinare longum est, etiamnunc rectae comprobatae summa haec est: Lenaea, Anthesteria, Dionysia rustica tria discernenda sacra esse, quorum Lenaea septimo mense Attico Gamelione (Ionico sermone „Lenaeone"), Anthesteria octavo Anthesterione, Dionysia rustica sexto Posideone agi.

[2]) v. v. 1007, 1012.

[3]) v. v. 1024.

[4]) v. v. 1022, 1023.

[5]) v. v. 1021.

[6]) v. v. 1029—1032.

[7]) v. v. 1033, 1035.

rantem. V. 1048 paranymphus ab urbe scaenam ingressus Dicaeopolidem evocat, a quo iussu novi mariti assum afferens, ut cyathum pacis ampullae infundat, petit. Cum Dicaeopolis neque assum accepturus neque paululum pacis daturus sit[1], paranympha, quae simul cum paranympho venerat, illum seducens a nova nupta iussa orat, ut illi nonnihil pacis det[2]). Cuius precibus commotus Dicaeopolis, postquam servus utrem pace impletum attulit[3]), aliquid pacis vasculo infundit[4]). Post v. 1066 paranymphus cum paranympha per parodum ad urbem ferentem orchestram relinquit. Dicaeopolis servum utrem in domum referre, trullam, qua vinum congiis infundat, efferre iubet. V. 1069 praeco[5] scaenam ab urbe intrat Lamachum iussu ducum admoniturus, ut cum exercitu Boeotos, ne Atticam invadant, prohibeat[6]). Qui postquam mandatum confecit, post v. 1077 orchestram per eandem parodum, per quam venerat, relinquit. Lamachus v. 1072 e domo processerat a praecone evocatus. V. 1084 etiam ad Dicaeopolidem nuntius ab urbe accurrens ei iussus a sacerdote Bacchi nuntiat, ut quam celerrime ad eius cenam veniat[7]). Quibus dictis ad urbem abit v. 1094. Iam v. 1095 sqq. Lamachus, ut ad bellum proficiscatur, Dicaeopolis apud sacerdotem epulaturus se parant[8]). Lamachus v. 1097 sqq.

---

[1]) v. v. 1054, 1055.

[2]) v. v. 1056—1060.

[3]) v. v. 1061.

[4]) v. v. 1063.

[5]) v. v. 1083: „οἵαν ὁ κῆρυξ ἀγγελίαν ἤγγειλέ μοι“.

[6]) v. v. 1073—1077.

[7]) v. v. 1085 sqq:

. . . . . . . . . . „ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ
βάδιζε, τὴν κίστην λαβὼν καὶ τὸν χόα.
ὁ τοῦ Διονύσου γάρ σ' ἱερεὺς μεταπέμπεται“.

[8]) Etiam hac scaena v. 1084 sqq. Lenaea et Choas duo sacra diversa esse comprobatur, cum, quod Boeckhius. l. l.

servum omnia, quibus ad bellum profecturis opus est, e domo efferre iubet, quem Dicaeopolis illudens servo imperat, ut omnia, quae ad convivium profecturis opus sunt, efferat, v. 1098 sqq. Servus Lamachi affert peram v. 1097, sales thymo conditos et bulbos v. 1099, salsamentum folio ficulneo involutum v. 1101, duas pennas in galea affigendas v. 1103, thecam cum tribus cristis v. 1109, hastam v. 1118, cuius velamentum Lamachus cum servo v. 1120 detrudit, fulcra scuti v. 1123, scutum ipsum Gorgonis imagine ornatum v. 1124, quod Lamachus servum oleo polire iubet v. 1128, 1129, loricam v. 1132. Dicaeopolis interea singula verba Lamachi imitatus et ad ridiculum detorqueus servum sibi efferre iubet cistam v. 1098, pisces tostos v. 1100, carnem pinguem folio ficulneo involutum v. 1102, palumbes et turdos v. 1104, patellam carnem leporis coctum continentem v. 1110, farcimen v. 1119, cuius cutem Dicaeopolis v. 1121 cum servo detrahere videtur, panes clibanarios v. 1123, placentam caseo tectam v. 1125, in quam mel perfudit servus v. 1130, congium v. 1133. Cum utrique omnia praesto sint, profecturi sunt post v. 1135: Lamachus armis partim indutis peram in tergo gestans[1]) cum servo, qui scutum cum stragulis alligatis[2]) portat[3]), per paro-

p. 133 recte monuit. Lenaea epulis publicis agi appareat ex inscriptione Attica (v. Boeckhium, l. l. p. 103 sqq.) hoc Acharnensium loco Choes agantur cena apud sacerdotem Bacchi, quoniam Choibus res publica civibus theoricum solvat, quo parent epulas ipsi: hoc loco sacerdotem ad convivium invitare Dicaeopolidem, quem cenam ipsam et congium vini secum afferre. V. etiam schol. ad v. 1085: „τότε γὰρ οἱ καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον στεφάνους καὶ μυρὰ καὶ τραγήματα καὶ ἄλλα τοιαῦτα παρετίθεσαν, οἱ δὲ καλούμενοι ἔφερον ἐψήματα".

[1]) v. v. 1138.

[2]) v. v. 1136.

[3]) v. v. 1140.

dum peregrinorum scaenam relinquit post v. 1141, ut hostibus se obiciat[1]). Dicaeopolis pallio induto per alteram parodum epulandi causa abit post v. 1142, eum sequitur servus cenam in cista portans[2]).

Scaena sic vacua relicta chorus ultimum stasimum v. 1143—1173 canit. Quid interea factum esse mentibus spectatorum fingendum sit, ex ultima fabulae parte apparet, qua Lamachus e bello, Dicaeopolis a convivio redeunt. Etiam hoc loco igitur poëta intra paucos versus Lamachum ad bellum profectum, vulneratum, Athenas reversum, Dicaeopolidem ad cenam profectum, epulatum, item domum reversum faciens veri similitudinem temporum neglexit.

V. 1174 nuntius per parodum, per quam peregrini adveniunt, ad domum Lamachi accurrit, ut servos eius aquam calefacere, linteum ceratum, lanam succidam, ligamentum praeparare iubeat, cum dominus vulneratus sit[3]). V. 1189 fores aperiuntur, ut Lamachus in domum portari possit. Qui v. 1189 per eandem parodum ac nuntius scaenam intrat gravibus doloribus affectus. V. 1198 per alteram parodum Dicaeopolis a convivio rediens inter duas meretrices[4]) in orchestram prodit, cum servus portet utrem[5]), eum Dicaeopolis, quod primus congium ebiberat, palmam acceperat[6]). Dicaeopolis postquam

---

[1]) V. 1141 bene ad tempus huius scaenae quadrat, cum mense Anthesterione, i. e. nostro temporum ordine altera parte mensis Februarii et prima Martis, nives bene cadere possint.

[2]) v. v. 1137, 1142.

[3]) v. v. 1174 sqq. Cum Muellero, l. l. ad v. 1181, qui secutus est auctoritatem Helbigii, v. 1186—1188 uncis includendos esse puto.

[4]) v. v. 1200.

[5]) v. v. 1225.

[6]) v. v. 1203.

meretrices osculavit[1]), ut est ebrius, etiam Lamachum osculat, qui eum indignabundus mordet[2]). V. 1214 Lamachus a servis, ut corpus suum sublevent, petit, cum Dicaeopolis meretricibus, ut phallum suum sublevent, v. 1216 et 1217 imperet. V. 1222 et 1223 Lamachus servos se ad medicum Pittalum efferre iubet[3]), quod fit per parodum ad urbem ferentem post v. 1226. Dicaeopolis postquam utrem ebibit[4]), a servis umeris portatus[5]) cum meretricibus et choro[6]) domum suam ingreditur.

Denique quod ad distributionem personarum attinst, Beerius[7]) personas hoc modo inter actores et parachoregemata distribuit: actor primarum partium partes agit Dicaeopolidis, actor secundarum partes Amphithei, uxoris Dicaeopolidis, Euripidis, Lamachi, Megarensis, Boeoti, agricolae, actor tertiarum partes legati, θεωροῦ, filiae, servi Euripidis, sycophantae, servi Lamachi, secundi praeconis, paranymphi, tertii praeconis, nuntii primi et secundi; parachoregema esse praeconem primum, Pseudartabam, Nicarchum, filiolas Megarensis. Beerio summatim adstipulor, sed mihi saepius parachoregematibus usus esse videtur, quam opus est. Primum l. l. p. 56 et 57 partes praeconis primi parachoregemate actas esse contendit, cum legatus post v. 125 abeat, v. 129 Amphitheus scaenam intret, neque tres v. satis esse actori, ut vestes mutet. Meo arbitrio legatus iam post v. 110 abiit, nam cum Pseudartabam solum

[1]) v. v. 1200, 1201.

[2]) v. v. 1209.

[3]) Quamquam verisimilius erat, medicum in domum Lamachi vocari, tamen poëta Lamachum se ad medicum efferri iubentem facit, ut finem fabulae praeparet.

[4]) v. v. 1225—1227.

[5]) v. v. 1224.

[6]) v. v. 1231, 1232.

[7]) l. l. p. 56—60.

in prytaneum vocatum esse appareat, legatum una cum Pseudartaba abire minime veri simile est. Partes praeconis igitur bene actor tertiarum agere potest, praesertim cum etiam partes praeconis secundi et tertii, quamquam minores, tamen ab actore neque a parachoregemate agantur. Quod si statuimus, hac scaena non duobus parachoregematibus opus est, quoniam etiam partes Pseudartabae parachoregema agit. Deinde partes Nicarchi parachoregematis esse Beerius l. l. p. 58 dixit, cum post v. 958 demum Boeotus cum Nicarcho abiisset, v. 959 iam servus Lamachi scaenam intraret, praeterea persona admodum parva non ab actore ageretur. Sed primum monendum est, Boeotum iam post v. 954 abire posse, deinde partes Nicarchi non eiusdem parachoregematis, cuius partes filiolae alterius Megarensis sunt, esse possunt, quod Beerius voluit, cum ei undecim v. recitandi sint. Etiam hoc loco igitur actorem tertiarum partes Nicarchi egisse puto. Denique cum supra praeconis primi partes ab actore tertiarum actas esse viderimus, partes legati et θεωροῦ, quod contendit Beerius p. 59, non actori tertiarum, sed secundarum tribuendae sunt. Itaque meo arbitrio aguntur ab actore secundarum partes Amphithei, legati, θεωροῦ, uxoris, Euripidis, Lamachi, Megarensis, Boeoti, agricolae, paranymphi, ab actore tertiarum partes praeconis primi, filiae, servi Euripidis, sycophantae, Nicarchi, servi Lamachi, praeconis secundi et tertii, nuntii secundi et tertii. Parachoregemata sunt Pseudartabas et duo filiolae Megarensis.

## II.

Ratione scaenica Acharnensium sic exposita transeamus ad alteram huius dissertationis partem, qua quomodo Aristophanes in locis et temporibus

tractandis veri similitudinem neglegere soleat explicetur. Ac primum quidem singulos locos [1]), quibus veri similitudo neglegitur, afferam, deinde cur hoc fecerit et facere potuerit Aristophanes explicem.

Initio Nubium fabulae scaena est ante [2]) domum Strepsiadis, ubi ipse et filius Phidippides in solo [3]) vestibuli dormientes iacent. Quam domum Athenis eadem in via, in qua domum Socratis sitam esse cogitatione concipiendum esse Kockius [4]) docet. Domum Socratis, quam v. 92 filio monstrat et adit v. 128 sqq Strepsiades, Athenis sitam esse nemo negabit. Tamen quin initio fabulae Strepsiadis domum in pago eius Cicynna [5]) sitam esse mentibus comprehendendum sit, non dubito, cum primum Strepsiades sit agricola [6]), deinde ruri habitet [7]), quod saepius urbi opponit [8]), denique nullo verbo se rure in urbem migrasse dicat. Etiam hoc loco igitur Aristophanem loci veri similitudine neglecta spectatores sola oratione domum,

[1]) Tales locos, qualem Equ. v. 498—610 (qui dum canuntur, botularius (Agoracritus) senatum adit, ubi cum Paphlagone (Cleone) congreditur, illum vincit, in scaenam redit (v. v. 475 sqq, 611 sqq), vel v. 1263—1315 (quos dum chorus cantat, Agoracritus Populum decoxit et pulchrum reddidit (v. v. 1321) hoc loco annotare omittam, cum sint minoris momenti. In quibus quamquam veri similitudo temporum paululum neglegitur, tamen eorum vix ratio habenda est comparanti velut Acharn. v. 130—175 (v. supra p. 9 et 10).

[2]) Quos non in domo versari, quod voluit Kockius (Ausgew. Komöd. d. Aristoph. Bd. 1, Wolken, Berlin, 1876, p. 35), iam inde apparet, quod interior domus semper ostenditur eccyclemate adhibito, velut hac fabula v. 181 sqq. Praeterea v. 19 servum tabulam efferre iubet Strepsiades, quod non facere potest, nisi ipse extra domum est.

[3]) v. Reischium, l. l. p. 208.

[4]) l. l. p. 35.

[5]) v. v. 134.

[6]) v. v. 37, 43, 47, 71, 72, 134, 138.

[7]) v. v. 138.

[8]) v. v. 47, 69—72.

quae usque ad v. 91 ruri est, inde ab hoc v. in urbe sitam esse, mentibus concepturos voluit, neque vero Phidippidem eadem scaena, cuius initio domus Strepsiadis ruri erat, eandem domum nunc in urbe sitam v. 125 intrantem facere dubitavit[1]. Scaena deinde agitur apud Socratis et Strepsiadis domum in urbe usque ad v. 1213[2]. V. 1214 Pasias cum teste, v. 1258 Amynias domum Strepsiadis adeunt, ut ab eo pecuniam mutuam datam repetant[3]. V. 1322 Strepsiades finitimos et homines eiusdem pagi auxilio vocat. Cum feneratores ad Strepsiadis domum ruri sitam[4] venire consentaneum sit, et ipse „δημότας“ auxilio vocet, scaenam mentibus mutatam nunc iterum ruri esse apparet. In fine denique fabulae, certe inde a v. 1464, scaena in urbe agitur ad domum Socratis[5].

Etiam temporis veri similitudinem a poëta hac in fabula neglectam esse docet episodium 4, v. 1131—1303. V. 1131 sqq. videmus nunc esse vicesimum sextum mensis diem, tricesimo pecuniam mutuam datam reddendam, aut feneratores, nisi pecuniam acceperint, in ius Strepsiadem vocaturos esse. V. 1214 Pasias, v. 1258 Amynias Strepsiadis domum adeunt, ut tricesimo mensis die pecuniam repetant[6]. Ex quibus apparet, inter v. 1213 et 1214 tempus quattuor dierum intercedere, id intercessisse spectatores mentibus sibi fingere necesse est. Sed difficultatem praebent v. 1213 et v. 1354 comparati. Quamquam

---

[1] Simili modo in Acharn. domus Dicaeopolidis initio fabulae in urbe, deinde ruri, denique iterum in urbe sita est, de qua re v. supra p. 11 sqq.

[2] v. v. 508, 509, 632, 633, 801, 802, 1103, 1144, 1164, 1165, 1213

[3] v. v. 1224 sqq. 1267 sqq.

[4] v. etiam v. 1219: „ἀνδρὶ δημότῃ“.

[5] v. v. 1484 sqq.

[6] v. v. 1221 sqq. 1267 sqq.

enim inter v. 1213 et 1214 quattuor dies intercessisse modo vidimus, e v. 1354 apparet, eundem diem ac v. 1213 et antecedentibus esse, cum v. 1213 Strepsiades filium in domum ducat, ut cum eo cenet, in cenando[1]) a filio verberetur, qua de causa rursus scaenam intret. Quattuor dies intercessisse non ante v. 1213 docet v. 1149 vox „ἀρτίως“. Quae discrepantia ita explicari potest, ut Aristophanes temporis veri similitudinem neglexerit. Sed cum nullo alio loco Aristophanes tempus intercessisse finxerit, deinde autem hoc factum esse iterum neglexerit, mihi veri similius videtur, etiam hanc rem indicium fabulae non prorsus retractatae esse.

Cum etiam in Pac. fabulae prima parte (usque ad parabasem) Aristophanes in locis tractandis veri similitudinem neglexerit, de ratione autem scaenica huius partis valde discrepent inter se sententiae virorum doctorum, haec pars accuratius examinanda est. Initio fabula agitur ante domum Trygaei[2]), qui cantharo vectus domum Iovis aditurus est[3]), subvolat v. 149[4]), ad domum Iovis venit v. 178, 179. Quam domum in caelo[5]) sitam esse cogitatione fingendum est. Cum Trygaeus sublime latus — i. e. machina, quae vocatur „γέρανος“ sive „κράδη“ adhibita[6]) — eo pervenerit, domum Iovis in superiore loco, quam domus Trygaei in orchestra, esse necesse est. Mercurius e domo Iovis prodit, Iovem reliquosque omnes deos caelo relicto in editiorem locum emigrasse[7]),

---

[1]) v. v. 1322 sqq, 1354 sqq.

[2]) v. v. 30, 49, 78, 88, 89.

[3]) v. v. 63 sqq.

[4]) v. v. 93, 103 sqq.

[5]) v. etiam hypoth. I, fin: „ἡ δὲ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐκ μέρους μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκ μέρους δὲ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ“.

[6]) v. v. 174.

[7]) v. v. 197, 199.

hoc loco nunc Bellum habitare[1]), quod Pacem specu inclusisse[2]), dicit. Quod specus Mercurius significat „τουτὶ τὸ κάτω“ v. 224, lapides impositos esse „ἄνωθεν“[3]), id in caelo esse apparet. V. 234 Trygaeus recedit, ne conspiciatur a Bello. V. 292 sqq. Trygaeus Graecos advocat Pacem e specu liberaturos. V. 300 chorus in orchestram progreditur. V. 361 Trygaeus quaesiturus, quomodo lapides amoveri possint, a Mercurio v. 362 prohibetur, e qua re apparet, scaenam etiamnunc in caelo agi. Sed postquam Trygaeus Mercurio, ut secum Pacem liberet, persuasit v. 378 sqq, Trygaeus, Mercurius, chorus opus aggrediuntur. V. 520 Pax cum Opora et Theoria[4]) conspicitur. Ut v. 720 Trygaeus caelum relinquat et in terram revolet („ἀποπετώμεθα“), cantharum vocat, qua re, etiam v. 720 Trygaeum in caelo esse, comprobatur. Cum cantharus non iam adsit[5]), descendit („καταβήσομαι“ v. 725) „τηδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν“[6]). V. 819 Trygaeus in terram revertit e caelo. Haec summa rerum gestarum! Videamus, quomodo in scaena haec omnia acta sint! Robertus in Herm. vol. XXXI, 1896, p. 530 sqq.[7]) de scaena Aiacis, Pacis, Promethei egit, in quibus fabulis omnibus machinam, quae vocatur „Χαρώνιοι κλίμακες“ et „ἀναπίεσμα“, adhibitam esse contendit. Pacis rationem scaenicam p. 551 sqq. exponit hoc modo: fabulam usque ad v. 149 agi ante domum Trygaei, v. 177–228 partim

---

1) v. v. 205.

2) v. v. 223:
„ὁ Πόλεμος αὐτὴν ἐνέβαλ' εἰς ἄντρον βαθύ“.

3) v. v. 225.

4) v. v. 523.

5) v. v. 721, 722.

6) v. v. 726.

7) nonnulla addidit in Herm. vol. XXXII, 1897, p. 421 sqq. „zur Theaterfrage“.

ante domum Iovis, partim ad specus prope eam situm, quod altius domo Iovis media in orchestra, cum chorus Pacem emoveat, situm esse. Inde a v. 819 usque ad finem fabulae scaenam esse ante domum Trygaei. E domo sua Trygaeum caelum ascendere cantharo vectum, inter v. 190 et 195 e cantharo descendere, v. 234 „φέρ' αὐτὸν ἀποδρῶ" eum in orchestram pervenire. V. 725 sqq. eum in domum suam redire, neque vero cantharo vectum, sed aliquo modo descendentem. Id quod prius intellegi non potuerit, quo Trygaeus descendat, nunc cuniculo, qui vocetur „Χαρώνιοι κλίμακες", invento satis probabiliter exponi posse. Cuius cuniculi os media in orchestra situm repraesentare introitum specus, neque alio loco nisi in orchestra v. 289—728 agi posse, quod praeter ceteras causas iam ea probari, quod in scaena duo actores, viginti quattuor choreutae totidemque mutae personae versari non possint. Trygaeum v. 726 in cuniculum descendere, a tergo scaenam intrare, e cuius ianua maxima cum Opora et Theoria orchestram ingredi post v. 818. In Pac. duas domus scaenicas esse, Trygaei et Iovis domum. Illam positam esse contra theatrum, hanc ad normam respondentem in dextra vel sinistra orchestrae parte, cum specui, i. e. mediae orchestrae, propius positam esse necesse sit. Domum Iovis editam tignis sustineri. Ante domum esse vestibulum, a quo v. 234 Trygaeum in orchestram fugere scalis descendentem, eandem viam Mercurium v. 362 ingredi, ut in orchestram ad Trygaeum perveniat. Haec Roberti sententia minime stare potest: specus sive os eius non in orchestra, sed proxime a domo Iovis, eodem in solo situm esse iam ex eo apparet, quod neque Trygaeum neque Mercurium locum apud Iovis domum reliquisse ullo verbo a poëta significatum sit. Deinde quamquam chorus Pacem e specu emovet, tamen Trygaeus et

Mercurius propius a specu stant[1]) et despiciunt in emoventes[2]), neque chorus, utrum opus bene succedat necne, videre potest, sed soli Trygaeus et Mercurius[3]) videntes choro referunt[4]), primi Pacem, Oporam, Theoriam conspiciunt[5]). E quibus elucet, non in orchestra Pacem e cuniculo escendere, neque Trygaeum per cuniculum v. 725 sqq. domum suam intrare. Etiam monendum est, cuniculum, qui vocatur „Χαρώνιοι κλίμακες", fuisse posse in theatro, sed nullo loco omnibum Aristophanis comoediarum commendari, qua de causa primum quaerendum est, nonne apparatu scaenico, quo soleat uti poëta, haec scaena explicari possit. Omnes choreutas orchestram v. 301 intrasse, ubi mansisse, nemo negabit, sed Trygaeum et Mercurium alio loco, apud domum Iovis, esse iam supra[6]) dixi; neque vero haec Iovis domus et Trygaei domus duo diversa aedificia esse possunt, cum et in tragoedia et in comoedia rata et stabili ratione una scaena contra theatrum posita sit, quae modo unam, modo duas, modo tres domus, cum tribus ianuis ornata sit, ostendat. Domus in editiore loco sita sive caelum nulla re nisi tecto scaenae et altera scaena in eo exstructa („ἐπισκήνιον", „διστεγία", „θεολογεῖον") adhibitis significari potest. Quamquam Robertus p. 557 etiam in ceteris Aristophanis comoediis, in quibus complures domus in scaena conspiciantur, eas diversis aedificiis ostendi contendit, tamen praeter Ran.[7]), ubi res se non ita habet[8]), exempla non attulit neque afferre potuit.

[1]) v. v. 361. 428, 429.

[2]) v. v. 464–466, 475, 481, 503, 504.

[3]) v. v. 472, 484, 490, 510.

[4]) v. v. 511.

[5]) v. v. 520 sqq.

[6]) v. p. 35.

[7]) l. l. p. 560.

[8]) de qua re v. infra p. 42 sqq.

Quam infirma sententia a Roberto prolata sit, magis manifestum erit recta sententia demonstrata. Ego Blaydesium [1]), Bodensteinerum [2]), imprimis Reischium [3]) hanc rem recte intellexisse puto: scaenae ipsius ianua maxima domum Trygaei repraesentat, cuius in tecto paulum remota, ut locus sit actoribus agentibus in area, alterius scaenae paries frontalis conspicitur, cuius ianua maxima est domus a deis relicta, nunc a Bello occupata. In sinistra vel dextra eius parte ianua altera introitum specus significat, lapidibus obruta [4]). Specus ipsum non latum, sed profundum est [5]).

V. 149 canthario vectus Trygaeus sublime fertur machina, quae vocatur „γέρανος", adhibita [6]). V. 178 in aream ante domum Iovis advenit, v. 180 Mercurius e domo Iovis prodit. Cantharum nunc amotum esse aliquo modo docent v. 720—722. V. 232 Mercurius abit in domum, v. 234 Trygaeus paulum recedit, ne conspiciatur a Bello. Qui v. 236 e domo progreditur, servum evenire iubet, v. 254. Uterque abit v. 288. Iam Trygaeus v. 289 sqq. Graecos convocat, ut ligones, vectes, funes portantes conveniant ad Pacem liberandam. V. 301 sqq. chorus orchestram intrat per alteram parodum. Chorum in reliquis omnibus comoediis orchestram intrare constat.

---

[1]) Aristoph. Pax, Halle, 1883, praef. p. VIII, IX.

[2]) „Scen. Fr. über d. Auftr. u. Abgehen v. Schausp. u. Ch. im griech. Dr.", in Fleckeisens Jahrb., Suppl. Bd. XIX, p. 686, 687.

[3]) l. l. p. 225—228.

[4]) v. schol. ad v. 179 (annotatum in cod. G): „νοεῖν δεῖ τον Τρυγαῖον ἀπὸ τοῦ κανθάρου ἀποβεβηκότα ἐπὶ τῆς σκηνῆς. ἔστι δὲ καί τι ἄντρον ἐπὶ τῆς σκηνῆς καὶ λίθοι". et simile schol. ad v. 233: „νοεῖν δεῖ τὸν Τρυγαῖον ἀποβεβηκότα τοῦ κανθάρου ἐπὶ τῆς σκηνῆς ταῦτα λέγειν. ἔστι δέ τι καὶ ἄντρον ἐπὶ τῆς σκηνῆς".

[5]) v. v. 224: „ἐς τουτὶ τὸ κάτω".

[6]) v. supra p. 34.

Itaque si hoc loco non orchestram, sed „ἐπισκήνιον“, in quo versatur Trygaeus, ingressus esset, poëtam primum v. 289 sqq. id apertis verbis significare, deinde quo modo chorus e superiore scaena post v. 816 in orchestram descendisset, in qua alteram fabulae partem agi consentaneum est, oratione indicare necesse fuit. Sed quo modo choreutae in orchestra versantes Pacem e specu in superiore scaena sito emovere possunt? Primum Mercurius chorum ligonibus lapides detrahere iubet v. 427[1]). Dum Trygaeus et Mercurius deos invocant, chorus ligonibus lapides a superiore scaena detrahit. Quibus detractis v. 458 sqq. Trygaeus et Mercurius funes sibi a choro subiectos ad Pacem destinant, eos chorus prehendit. Deinde uterque despiciens choro in orchestra trahenti praecipit[2]) et proxime a specu stans partem emovendi capit[3]). V. 520 sqq. Pacem, Oporam, Theoriam e specu emotas Trygaeus et Mercurius alloquuntur, quas in superiore scaena versari docent

---

[1]) Difficultatem praebet interpretibus vox „εἰσιόντες“. Ut chorus orchestra relicta scaenam intret, ut lapides amoveat, fieri non potest, cum primum chorum orchestram non reliquisse, quod rarissime fit, scaenis sequentibus probetur, eis nullo verbo chorum orchestram iterum ingressum esse significatur, deinde specus sit superiore in scaena. Nihilo magis chorus specus ipsum, quod contendit Robertus, l. l. p. 552, intrare potest eadem de causa, praeterea etiam lapides introitum specus occludunt. Neque etiam Schoenbornii a Bodensteinero, l. l. p. 687, laudata sententia: „Der Dichter will den Chor auf die Bühne bringen“, accipi potest, cum in theatro saeculi quinti nulla scaena, i. e. nostro sermone „Bühne“, sit, sed omnia (exceptis eis locis, quibus fabula agatur in episcaenio) agantur in orchestra. Meo arbitrio vox „εἰσιόντες“ hoc loco imagine adhibita cum voce „ταῖς ἄμαις“ coniungenda et sic intelligenda est, ut choreutae ligonibus quasi irrumpant in lapides et diruptos amoveant.

[2]) v. etiam supra p. 36 et 37.

[3]) v. v. 469 sqq.

etiam v. 657 sqq, eis Mercurius cum Pace colloquitur. Post v. 728 Trygaeus cum Opora et Theoria, cum Pax in caelo maneat, in terram descendit „τῃδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν“, i. e. locum, quo dea stat, praetergressus per specus in scaenam descendit, unde per parodum alteram[1]) ad domum suam pervenit v. 819.

Ratione scaenica prioris Pac. fabulae partis sic exposita, poëtam etiam in locis tractandis veri similitudinem neglexisse apparet: Trygaeus v. 178–728 in caelo versatur, chorus v. 301 orchestram intrat a Trygaeo vocatus, quam terram esse censendum est, cum caelum non ascendant. Tamen Trygaeus cum choro Pacem in specu in caelo sito inclusam liberat. Poëta igitur spectatores caelum et terram non iam inter se differre, sed quasi unum locum esse hac parte fabulae mentibus comprehendere voluit. Simili modo temporum veri similitudinem neglexit poëta, cum servus Belli a caelo v. 263–267 Athenas, v. 275–279 Spartam proficiscatur et redeat. Sed cum servus dei et ipse deus sit, hoc non mirum videtur, quod etiam in tragoedia recurrit, velut in Eumenid, qua in fabula inter v. 235 et 396 Minerva ex Asia Athenas veniat.

In Av. v. 550 sqq. Pithetaerus aves muro urbem avium circumdare iubet, v. 837 sqq. murus aedificari coeptus est, v. 1126 ingenti magnitudine[2]) perfectus est („ἐξῳκοδόμηται“), qua in re fingenda poëtam admodum temporis veri similitudinem neglexisse intellegitur.

Lysistr. fabulae imitio scaena agitur ante domos Lysistratae[3]) et Calonicae[4]). Inde a v. 254 usque

[1]) Trygaeum non e ianua maxima, quod Reischius l. l. p. 288 annotat, sed per parodum orchestram intrasse puto, cum quasi peregre adveniat et imprimis servus v. 823 e ianua maxima procedat.

[2]) v. v. 1125 sqq.

[3]) v. v. 199.

[4]) v. v. 5.

ad finem agitur ante arcem Athenarum[1]). Scaena autem non oculis, sed mentibus spectatorum mutata est, cum inde ab initio fabulae in scaenae fronte repraesententur arx ianua maxima, domus Lysistratae et domus Calonicae ianuis altera et tertia. Initio fabulae ianua maxima, altera parte utraque ianua altera mentibus spectatorum negligendae sunt.

Etiam in temporibus tractandis hac in fabula Aristophanes saepius veri similitudinem neglegere non dubitavit: v. 242—244 Lampitho Spartam missa est, ubi causam mulierum agat, v. 980 praeco Sparta veniens indutias facturus est, cum Lampitho mulieres in viros concitaverit. Deinde v. 1007 sqq. legatos mittendos esse Sparta Athenas magistratus praeconi Lacedaemoniorum dicit, iam v. 1072 sqq. legati Lacedaemoniorum scaenam intrant.

Thesmoph. fabulae prior pars, v. 1—276, agitur apud domum Agathonis[2]), quae sinistra vel dextra scaenae ianua altera repraesentatur. Altera pars fabulae, v. 277—685, utrum agatur in templo an ante templum Thesmophorarum dearum, deinde quomodo scaena mutata sit, admodum inter se discrepant sententiae virorum doctorum. Primum monendum est, si scaena agatur in templo, templum interius nulla re nisi eccyclemate adhibito monstrari posse. Quod adhibitum esse statuunt imprimis Bethius[3]), Robertus[4]) secutus auctoritatem Langii[5]) et Bethii, cum magni momenti sit παρεπιγραφὴ ad v. 284: „ἐκκυκλεῖται ἐπὶ τὸ ἔξω τὸ θεσμοφόριον“. Sed

[1]) v. v. 245, 246, 262 sqq. 286 sqq, 302, 303, 353, 428 sqq. 456, 758 et al. V. etiam schol. ad v. 245: „τῇ ἀκροπόλει φησίν“. et ad v. 286: „ἀντὶ τοῦ πλησίον γεγόναμεν τῆς ἀκροπόλεως“.

[2]) v. v. 26, 29, 30.

[3]) l. l. p. 117 sqq.

[4]) l. l p. 558.

[5]) quaest. in Arist. Thesm., Gott. 1891, p. 47.

multo maioris, quin etiam ultimi momenti verba poëtae ipsa sunt, neque fieri potest, quin eccyclema adhibitum esse statuendum sit, nisi apertis verbis indicetur[1]), quod hoc loco non fit. Relinquitur igitur, ut scaena ante templum agatur, quod recte intellexerunt Bodensteinerus[2]), Reischius[3]). Hoc loco contio habetur[4]), atque contiones Athenis sub divo haberi notum est. Et habetur quidem contio hac in fabula loco sancto circa templum dearum sito[5]). Scaena autem a domo Agathonis in locum sanctum ante templum[6]) transfertur nulla alia re nisi signo Thesmophorii super templum sublato[7]), quod Aristophanes oratione indicat v. 277, 278:

. . . . . . . . . . „ὡς τὸ τῆς ἐκκλησίας
σημεῖον ἐν τῷ Θεσμοφορείῳ φαίνεται“.

Ad quod recte schol. ad v. 285 annotat: „ὅτε ἔμελλε γίνεσθαι ἐκκλησία, σημεῖον ἐτίθετο. οὕτως οὖν καὶ τῶν γυναικῶν μελλουσῶν ἐκκλησιάζειν σημεῖον τίθεται“. Itaque etiam hoc loco veri similitudine neglecta scaena non oculis, sed solis mentibus spectatorum mutata in priore parte mentibus eorum templum, quod ianua maxima repraesentatur, altera parte domus Agathonis, i. e. ianua altera, amota sunt.

Ultimo loco Ran. fabulam, cuius in priore parte usque ad v. 463[8]) poëta in locis tractandis veri similitudinem admodum neglexit, accuratius examinem. Usque ad v. 165 fabula agitur ante domum

---

[1]) v. supra p. 17.

[2]) l. l. p. 656, 657.

[3]) l. l. p. 246, 247.

[4]) v. v. 277, 298, 329, 375, 376 et al.

[5]) v. v. 1045, 1046: „τὸ δ' ἱερόν“.

[6]) Scaenam inde a v. 686 usque ad finem ante templum agi nemo negabit.

[7]) v. supra p. 12, ann. 3.

[8]) Altera pars fabulae agitur apud domum Plutonis.

Herculis[1]). Cum in altera parte huius fabulae, v. 464 — fin, altera domus, quae est Plutonis, in scaena ostendatur, Reischius[2]) contendit, domum Herculis in priore, Plutonis in altera parte eandem, i. e. ianua maxima repraesentatam, fuisse. Quod fieri non posse quamquam Bodensteinerus[3]) recte annotavit, tamen domum Herculis et domum Plutonis simul, i. e. ianua maxima et sinistra vel dextra ianua altera repraesentatas, in scaena conspici posse negavit: fieri non posse, ut eadem scaena primum loca, quae homines incolant, deinde orcum repraesentet, nisi prius domus Herculis amota sit, cum non putandum sit, duarum domorum ab initio in scaenae fronte conspectarum alteram priore parte, alteram altera solis mentibus neglegi. Qua de causa domum Herculis, dum Bacchus et Xanthias iter ad Plutonis domum faciant, scaena ductili adhibita removeri a scaena. Sed nullo loco neque tragoediae neque comoediae unquam scaenam ductilem adhibitam esse commendatur. Deinde domus complures inde ab initio fabulae in scaenae fronte repraesentari, alteram priore, alteram altera parte fabulae non oculis, sed mentibus spectatorum amoveri saepius hac in dissertatione comprobavi. Quibus de causis etiam hoc loco per totam fabulam domum Herculis et domum Plutonis[4]), hanc ianua maxima, illam sinistra vel dextra ianua altera repraesentatam — unam ianuam duas domos repraesentare nullo comoediarum loco comprobari potest — a spectatoribus conspici, domum Herculis inde a v. 165, domum

---

[1]) v. v. 35 sqq, 105, 108 sqq, 136 sqq.

[2]) l. l. p. 213.

[3]) l. l. p. 657, 658.

[4]) Quod Robertus, l. l. p. 560, recte intellexit. Sed has duas domos duabus diversis aedificiis repraesentari non posse, iam supra, p. 37, monui.

Plutonis usque ad v. 459 mentibus spectatorum amoveri censeo.

Ad v. 181 (in ed. schol. v. 183) recte schol. annotat: „ἐνταῦθα δὲ τοῦ πλοίου ὀφθέντος ἠλλοιῶσθαι χρὴ τὴν σκηνὴν καὶ εἶναι κατὰ τὴν Ἀχερουσίαν λίμνην τὸν τόπον (ἐπὶ τοῦ λογείου ᾖ)[1]) ἐπὶ τῆς ὀρχήστρας μηδέπω δὲ ἐν Ἅιδου“. Scaena igitur solis mentibus spectatorum mutata nunc orchestra lacum Acherusium repraesentat. Per parodum prope domum Herculis sitam Charon cum lintre orchestram intrat v. 180, Bacchus in lintrem inscendit v. 190, cum Charone per lacum, i. e. per orchestram ad alteram parodum, vehitur, cum Xanthias circumeat lacum, i. e. dimidiam partem orchestrae ad scaenam sitam — postea enim agitur in orchestrae parte ad theatrum spectante[2]) — v. 270 Bacchus e lintre egreditur, v. 772 cum Xanthia convenit. Recte schol. ad v. 276 explicat: „μεταβέβληται ἡ σκηνὴ καὶ γέγονεν ὑπόγειος“. Scaena igitur iterum solis mentibus spectatorum mutata orchestram nunc esse locum, quem significavit Hercules v. 145 –151, cogitatione fingendum est. Dionysus et Xanthias procedunt v. 277, et re vera quidem in parte orchestrae ante theatrum sita[3]). Inde a v. 301 per orchestram euntes mediam scaenam petunt, medio in itinere incidunt in chorum per alteram parodum orchestram intrantem. Iam scaena tertium mutata mentibus spectatorum orchestram usque ad v. 459 locum a Hercule v. 154—158 significatum repraesentare concipiendum est. Denique v. 460 ad domum Plutonis pervenerunt. Iam scaena ultimum mentibus spectatorum mutata fabula usque ad finem agitur ante domum Plutonis.

---

[1]) Verba „ἐπὶ τοῦ λογείου ᾖ“ uncis includenda esse puto, cum „λογεῖον“ in theatro Attico saeculi quinti non sit.

[2]) v. v. 297:

„ἱερεῦ, διαφύλαξόν μ', ἵν' ὦ σοι συμπότης“

[3]) v. v. 297.

Singulis locis, quibus Aristophanes in locis et temporibus tractandis verisimilitudinem neglexit, sic expositis reliquum est, ut quaeramus, cur Aristophanes id fecerit et facere potuerit.

Argumenta tragoediarum et comoediarum comparanti statim magna dissimilitudo manifesta erit: tragoedia est „ein in sich abgeschlossenes Stück der Heldensage“ [1]), argumentum eius unum et simplex est, quod serio et extra iocum tractatur, homines agentes et patientes fingit [2]), comoedia humanam vitam sui temporis deformat, „es beruht die Einheit des Ganzen nicht in der sogenannten Einheit der Handlung als solcher, nicht in einer durchaus konsequenten Haltung der Charaktere, nicht in einer scharfen Kausalitätsverbindung der einzelnen Momente unter einander, sondern allein auf der Einheit des Zweckes, der sich auch die tollsten, oft scheinbar zusammenhanglosen Einfälle geduldig fügen“ [3]), deinde omnia ridicule detorquet. [4]) Qua re argumentum tragoediae fere semper, cum sit unum et simplex, neque in locis [5]) neque in temporibus [6]) tractandis veri similitudine neglecta bene agi posse elucet. Comoediae, cum saepissime singulae scaenae non causis in re ipsa positis, sed extrinsecus consilio alicuius rei

---

[1]) v. de Wilamowitzium, Eur. Heracl. I [1], Berlin, 1889, p. 107.

[2]) Velut in Soph. Ai. totum argumentum fabulae versatur in expiando Aiacis facinore in insania facto.

[3]) v. Kockium, l. l. p. 32.

[4]) Velut in Aristoph. Acharn. consilium, quo fabula composita est, versatur in pace illustranda, quod ut poëta fingendo assequatur, singulas scaenas, quasi singulas pacis imagines, (contionem, Dionysia rustica acta, commercium factum, expeditionem a Lamacho factam, Choas a Dicaeopolide actas) nullis causis in re ipsa positis, sed solo consilio pacis illustrandae in unam fabulam coniunctas facit.

[5]) Exceptis Eumen. Aesch. et Ai. Soph.

[6]) Exceptis velut Eumen. Aesch, de qua re v. supra p. 40.

illustrandae vel illudendae allatis in unum coniungantur, saepius veri similitudo in tractandis locis et temporibus neglegenda est.

Poëtae saeculi quinti quartique ineuntis in temporibus tractandis veri similitudinem neglegere difficile erat, cum, velut nunc quidem in theatro, neque aulaeo sublato cum actu tempus indicari posset, neque indice scaenico. Neque etiam scaena mutari potuit aliquo apparatu scaenico adhibito, cum poëtae singulis fabulis nihil nisi scaena maxime tribus ianuis ornata, „ἐπισκήνιον“ cum altera scaenae fronte, „ἐκκύκλημα“, qua machina adhibita nihil nisi interior scaena monstrari potest. orchestra in usum tradita essent. Neque enim scaenam ductilem neque periactos, quod multi viri docti contenderunt, neque aliud quidquam ad scaenam mutandam adhibita esse monumentis ipsis nihil docentibus e verbis poëtarum colligi potest. Sed cum totam fabulam non semper uno tempore et uno loco agi posse eo, quod supra p. 45 dixi, manifestum sit, poëtam in locis et temporibus tractandis veri similitudinem neglegere necesse erat. Poëta igitur in locis tractandis scaenam mutatam esse finxit, modo hac, modo illa parte scaenae vel episcaenii vel orchestrae non oculis, sed mentibus spectatorum mutata vel amota. Velut in priore Ran. parte initio nihil nisi domus Herculis, sinistra vel dextra ianua altera repraesentata, oculis spectatorum adest, deinde hac domo mentibus ablata altera pars orchestrae ad scaenam sita, tum etiam hac cogitationi amota altera eius pars ad theatrum spectans, deinde tota orchestra, denique usque ad finem orchestra et domus Plutonis[1]). Saepius etiam duo loca, quae re vera procul inter se absunt, poëta veri similitudine neglecta uno loco sita facit, velut

[1]) v. supra p. 42—44.

in Nub. domum Strepsiadis re vera ruri sitam et domum Socratis re ipsa in urbe sitam[1]), velut etiam terram et caelum in priore Pac. parte quasi unum locum esse fingit[2]). Aliquid temporis intercessisse sive scaenam ab alio loco in alium translatam esse, poëta nulla re nisi oratione indicavit. Atque vero semper apertis verbis scaenam mutatam significavit, velut in Ran. initio, quo loco et ante et post scaenam mutatam nova scaena oratione subtiliter significatur[3]).


Et potuit quidem in locis et temporibus tractandis veri similitudinem neglegere, cum fabulas componeret spectatoribus Atheniensibus, quibus satis esse sciebat, et tempora intermissa et loca mutata sola oratione indicata intellegere, eos mentibus comprehendere cognitum habebat, poëtam in locis et temporibus tractandis veri similitudine neglecta animos non ad ea, quae sint in specie posita, sed quid agatur in fabula et quo consilio composita sit fabula, intentos velle.

---

[1]) v. supra p. 32 et 33.

[2]) v. supra p. 34 sqq.

[3]) v. v. 137—140, 143—151, 154—158, 161—163, 180—183, 193—195, 273—279, 312—320, 431—436, 460—464.



# Vita.

Franciscus Krause natus sum a. d. XII. Kal. Apr. a. s. s. LXXVIII Dessaviae, in urbe Anhaltinorum, patre Francisco mercatore, quem praematura morte mihi ereptum maereo, matre Maria e gente Salmon, quam adhuc vivere atque valere maxime gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasium Dessaviense, quod tum Gustavi Krueger optimis auspiciis florebat, frequentavi. Maturitatis testimonium assecutus vere a. s. s. XCVI Gottingam petii et civibus academicis adscriptus per quater sex menses praecipue studiis philologicis operam dedi. Audivi viros doctos de Wilamowitz, Leo, Kaibel, Dilthey, Baumann, Busolt, Wentzel. Deinde Lipsiam transgressus interfui scholis, quas habuerunt viri illustrissimi Brugmann, Wachsmuth, Lipsius, Studniczka, Richter, Wundt. Ubi bis sex menses versatus Gottingam redire constitui, ut per duo semestria praeceptoribus uterer viris clarissimis Leo et Kaibel. Seminarii regii philologorum per quinque semestria sodalis fui ordinarius.

Examine pro facultate docendi aestate a. h. s. I Gottingae superato, postquam Dessaviae per annum stipendia merui, auctumno a. h. s. II in seminarium paedagogicum gymnasii Wernigerodani regium receptus sum.

